DISSERTATIO MEDICA

DE MORBIS VENEREIS.

AUTHORE
JOANNE HONORATO
RAIBERTI
Apud Nicienſes, Liberalium Artium Magiſtro, nec-non in Univerſitate Monſpelienſi jamdudùm Medicinæ ſtudioſo.



MONSPELII
Apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis, & Univerſitatis Typographi. 1716.

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

CONSTANTINO NICOLAO

REPARATOR

NICIENSI,

DOCTORI MEDICO MONSPELIENSI;

IN PATRIA PRACTICO FELICISSIMO.

GRatum meum animum tibi volo significari, MEDICE PRÆSTANTISSIME, cùm hoc tibi Opus Medicum offero ac dedico. Non quòd hoc meum munusculum alicujus fore apud te momenti præsumam, sed quod hinc occasionem arripiam palàm profitendi quantùm humanitati ac benevolentiæ tuæ debeam. Non tibi satis fuit, mihi, ut arti Medicæ incumberem, fuisse authorem, hortatorem, impulsorem, idque præsertim cùm ingenio meo, cùm viribus meis diffiderem, sed & ipse voluisti mihi dux esse, viam mihi facere planam,

ut possem tutiùs ac faciliùs ad Templum Apollinis aliquando pervenire. Semper memorabor quantâ cum indulgentiâ viam hanc mihi aperueris, gressus meos direxeris, me sæpè labantem sustentaveris. Rude meum ingenium informare dignatus es, & nihil prætermisisti ut expolires. Hoc tantum beneficium non amici est, patris est. Quæ enim major esse potest in filium benignitas ac pietas quam suam impendere curam, ut, quem genuit, virtutibus imbuat, profuturâ scientiâ cohonestet? Hæc tu cumulatissimè in me contulisti. Erudivisti me, studii Medici rudimenta te docente deposui. Author quoque mihi fuisti ut Academiam Medicam Monspeliensem adirem, à quâ ego salubria exciperem oracula, quæ jam ipse exceperas. Audiens fui experto & consultissimo monitori. Excepi ab hujus Academiæ Professoribus eadem, quæ tu in mei gratiam jam fuderas oracula. Mihi visum est me te audire docentem cum docentes audivi Professores. O utinam salubria illa & tui & hujus Academiæ præcepta tam altò memoriæ meæ infigere potuissem, ut dignus & hujus Academiæ & tui discipulus aliquando apud meos prædicarer! Sed etsi unquam, quod Deus faxit, felix in curandis ægris fuero, prædicabo egomet eam felicitatem mihi non obtigisse, nisi quod à te scientissimo ac felicissimo practico didicerim certam & genuinam medendi methodum. Etenim, si quid certum in mortalium rebus, certa tua est medendi methodus, certa & tua scientia, ut à morbis præcaveatur; Utrumque jamdiù experta est vulgi turba; utrumque nostræ Civitatis aliarumque Urbium optimates nunc

experiuntur. Omnes volunt ſuam ſalutem tibi perito ac fortunato Medico eſſe commiſſam, nullaſque fermè fieri Medicorum conſultationes, quin ad eas tanquam conſultor optimus advoceris. Nomen & famam tibi paraſti, nominis & famæ perennitati jam conſulis, tùm ſingulari tuâ dexteritate in rebus Medicis, tùm in politioribus litteris ſummâ eruditione, ſed & inſigni morum integritate, candore, ſuavitate. Urbanitas tua tibi conciliat omnium animos; peritia tua in rebus Medicis omnium tibi animos devincit. Ego verò me tibi penitùs devinctum multò potiori jure profiteor, quem fecerit ſingularis tua benignitas diſcipulum tuum, alumnum tuum. Voveo tibi, VIR in me BENEVOLENTISSIME, me ac mea. Cupio tibi Neſtòreos annos, ut diutiſſimè ſalutiferam opem tuam ægrotantibus conferas, ut virtutibus, quæ ſunt in te cumulatiſſimæ, diù ſis omnibus exemplo, ut me, quod à ſummâ tuâ humanitate ſperò, diutiùs foveas.

Dabam Monſpelii die IX. *Septembris* 1716.

ILLUSTRISSIME PATRONE,

Cliens tuus obſervantiſſimus
& obſequentiſſimus,
RAIBERTI.

IN LAUDEM ERUDITI AUTHORIS EPIGRAMMA.

Gaudia dùm Veneris captat malè cautus amator,
Nescius heu quantis subditur ille malis.
Vertitur in lacrymas, emiturque dolore voluptas,
Fit breve quod placuit, perpetuusque dolor.
Hoc docuere alæ, docuere hoc spicula amoris,
Quippe joci fugiunt, spicula fixa manent.
Damna sed hæc validâ superat Monspessulus arte,
Certaque in hâc solâ quæritur urbe salus.
A docto hic solida hausisti præcepta magistro,
Fontibus ex ipsis dogmata vera bibens.
Jam benè, RAIBERTI, de morbo hinc disseris isto,
Sanari ut facilis gaudeat ipsa Venus.

Ad perpetuum signum amoris posuit Illustrissimus Abbas PAULUS PEIRE Niciensis Comes Costæ, Condon Castrinovi, &c.

EIDEM

ANAGRAMMA.

RAIBERTIUS.....ARBITER SUI

DISTICHON.

PErfecti argumenta viri RAIBERTIUS intrà
Nomen habet; namque est ARBITER ille SUI.

Obtulit in æternam amicitiæ memoriam Clariss. Abbas F. FLAMINIUS RAIBERTI Niciensis Juris utriusque Doctor.

EIDEM.

EMBLEMA.

VIs ſanare Luem. RAIBERTI
respice dictum.
Hic figit Venerem, Mercurioque domat.
Ipſe ſuis armis infecto SUFFICIT ORBI,
Omnia ſole fovet, Numina vite jubet.
Laude caret nulla; laudes nam continet intra
Nomen, HONORATI laus erit ipſa ſui.

Amicitiæ causâ retulit D.
CLAUDIUS NATEY,
Doct. Medic. Monſpelienſ.
& prim. Univerſ. Conſiliar.

DISSERTATIO MEDICA

DE MORBIS VENEREIS.

MORBI Venerei sunt illi, qui producuntur, vel foventur à viru venereo. Virus autem venereum semper procedit ab impuro coïtu, sive proximè, sive remotè. Morbi qui proximè procedunt ab impuro coitu, sunt Gonorrhea Virulenta, Bubones Venerei, Venerei Cancri, Sarcomata Venerea, Corona Venerea, Ossium Exostoses, & similia. Qui nonnisi remotè procedunt ab impuro coitu, dicuntur quoque Venerei, quatenùs fiunt à viru venereo, ut in Pueris lactantibus, in Nutricibus, sordida oris, vel mammarum ulcera. Præterea nullus est morbus præsertim chronicus & diuturnus, qui ab extricato viru venereo foveri non possit. Hujusmodi sunt dolores rheumatici, podagrici, scabies, inflicta quælibet vul-

nera, &c. Hi quoque Morbi dicuntur Venerei, & omnes generico Luis Venereæ nomine designantur.

Est enim Venerea Lues, fœda humorum illuvies ab impuro concubitu. Ex ea sobolescunt externarum & internarum corporis partium vitia, quibus deturpatur cutis, dehonestatur humana facies, raucescit vox, sensus debilitantur; quibus partes molles ulcerantur, & putrescunt, duræ remollescunt, & fatiscunt carie; quibus sævissimi dolores præsertim nocturno tempore ingruunt; quibus venustus Homo fit indecorus, turpis, fœtidus. Hæc vera est nefariæ voluptatis crux, & flagellum. *Caveant incauti Adolescentes; nocet empta dolore voluptas.*

Paucis ab impurâ copulâ diebus, plerumque se produnt modò seorsim, modò simul gonorrhea virulenta, ulcera in pudendis, in inguinibus bubones, circa podicem mariscæ, fici; inflammationes infestant pudenda, & prostatas; ulcera præter pudenda & prostatas, anum externum & internum infestant & urethræ ductum; sarcomata pudenda & anum obsident.

Tacitè serpit virus venereum, & modò tardiùs, modò citiùs tumultuatur, nimirùm pro variâ humorum temperie, pro variâ vivendi ratione. Virus tumultuans partes corporis aggreditur nunc singulas, nunc plures, omnes modò, caput, pectus, abdomen, artus, cutim, viscera, membranas, musculos, cartilagines, & ossa. Ex his aliæ simpliciter obstruuntur, ul-

cerantur aliæ, carie tentantur, inflammantur, dolent, putrescunt. Torquetur caput cephaleâ, hemicraniâ, epilepsiâ, & caligant oculi vertigine. Frons turpi diademate cingitur pustularum & ulcerum. Ossa cranii, etiam & reliqui corporis, remollescunt, exostoses patiuntur, perforantur carie. Nares exedunt cancri, aures tinnitu & surditate, ophtalmiâ & cæcitate oculi laborant. Horrendè fœtidum exhalat spiritum, depasta ulceribus narium & oris cavitas. Ulcera uvulam rodentia & interdum absumentia, ulcera rodentia palatum & aliquando perforantia, pervertunt loquelam & vocem. Si virus suas agat tragœdias in pectore, pulmo premetur dispnæâ, asthmate, orthopnæâ, tabescet in phtisi, in hæmoptysi dissolvetur; claviculæ, sternum, costæ, vertebræ dorsi asperabuntur exostosibus, carie terentur. Abdomen, cùm in eo sese virus exerit, multifaria patitur symptomata, obstruuntur virulentis sordibus hujus musculi, & contenta viscera; eaque obstrui, inflammari, exulcerari arguunt dolores colici, nephritides, hydrops, dysenteria, ani fistulæ, urinæ sanguineæ, purulentæ vel totaliter suppressæ. In artus quoque sese expandit virus venereum; id experiuntur rheumatici, arthritici, nodosi. Nullus est morbus chronicus quem non foveat virus hujusmodi. Interdùm febres tertianæ, quartanæ, quintanæ, menstruales, autumnales, aut vernales, venereæ sunt. Leve vulnus inflictum cuti abit in ulcus fœtidum & contumax, dum fovetur ab extricato viru venereo.

Venerea lues transfunditur conceptionis tempore in ovum per ſeminalem auram, graviditatis tempore in fœtum per lac uterinum, poſt partum per nutricis infectæ lac; ut ex infectâ nutrice per lac in puerum ſincerum, ita in ſinceram nutricem ex infecto puero, per ſalivam pueri mammas ſugentis. Et cùm virus nutricis ſerpit in alumnum, tranſmiſſum primò dignoſcitur ex virulentis aphtis, & ulcuſculis alumni os infeſtantibus; cùm verò transfunditur ex alumno in nutricem, virus primò ſe prodit in nutricis mammis.

Inſidioſum hoc virus eſt, latet interdum abſque noxâ ſenſibili, per annos integros, per totam vitam; nec ſeſe interdum prodit, niſi poſt ſecundam ac tertiam parentis inquinati generationem. Cùm ita vetus factum eſt, tunc pullulant ſtrumæ, & elephantiaſis, ſeu lepra. Etenim in regionibus, ubi ab exordio facilè diſcutitur venerea lues, nulli ferè reperiuntur leproſi, nulli ferè ſtrumoſi; ubi verò difficilè, lepræ ac ſtrumæ graſſantur, & utrumque arguit ſæpè ſtrumas & lepram à lue venereâ ortum ducere.

Unde verò tot malorum Ilias? Annus agebatur à Chriſto nato milleſimus quadringenteſimus nonageſimus tertius, cùm dira hæc lues in orbem Chriſtianum pervenit, & ſævire cœpit, ſcilicet Neapolim obſidente Carolo VIII. Gallorum Rege. Tunc ex inſignis cujuſdam ſcorti dirâ impuritate hæc libidinis labes in Gallorum exercitum irrepſit. Hinc Galli qui nondum morbum hunc noverant, meritò Neapolitanum, Nea-

politani verò, qui illum à Gallorum exercitu acceperunt, Gallicum appellarunt. Verisimile interim videtur morbum hunc Hispanos ex Indiâ Occidentali in Europam advexisse, cæterisque Nationibus in obsidione memoratâ communicasse. Apud Indos Occidentales perpetuò viget hic affectus, summaque percipitur ad contrahendum hunc morbum popularium proclivitas. Eumdem tamen asserunt hunc affectum esse, ac priscorum elephanthiasim, nec ignotum fuisse Hippocrati, Avicennæ, ac Moysi, à quibus descriptus esse videtur. Ut ut sit, certum est grassantem continenter contagiosam istam luem Europeas inquinasse plagas, nimirum sæculo decimo quinto, & decimo sexto. Sique pari atrocitate ac celeritate jam grassaretur, aut nisi certis, ut nunc fit, medicaminibus profligaretur, actum esset intra pauca sæcula de genere humano, vel saltem impares forent homines his rebus gerendis quibus naturaliter continetur humana sanitas. Dubium an mutato solo patrio, plantarum instar, mitigata sit aut marcescat. Hoc certum est eam in dies magis ac magis elanguescere in Europeo solo. Recenter ad nostros tractus, sive advecta, sive nata, si quem aggrediebatur, contaminatâ mox totâ sanguinis massâ, diris symptomatibus miserè cruciabat. A quinquaginta retrò annis gonorrheæ virulentæ specie se primùm prodidit. Idem moris jam nunc est. Hinc luis indicium. Si virus non per gonorrheam effluxerit, hinc mox sanguinis labes, & corruptela. Ex adverso, curatâ probè gonor-

rheâ, rarò ſequitur humorum infectio; curatis bubonibus, frequentiùs; cancris & ſarcomatis, ſemper.

Quænam ſit ea humorum infectio, quæ veneream luem conſtituit, ambigitur apud Authores. Alii confugiunt ad acidum corroſivum, nonnulli ad vermes. Qui priorem ſententiam tuentur, his potiſſimùm ſuffulciuntur argumentis. Virus venereum, aiunt, humores coagulat, ſolidaſque partes rodit, eo propè modo quo ſpiritus nitri ac vitrioli, quo aqua regia ſanguinem coagulant, cùm in ſectam viventis canis venam injiciuntur, & erodunt partes ſolidas, ſi exteriùs applicentur. Similiter, pergunt illi, ideò virus venereum gonorrheam, cancros, & ſarcomata parit, quatenus ſolidas, quas aggreditur, partes erodit; bubones verò in inguinibus, dolores in toto genere muſculoſo, exoſtoſes vel caries, & ſimilia parit, quatenùs ſanguinem & lympham coagulat. Ergo, concludunt illi, ſunt in hujuſmodi viru venereo ſalia acida fixa corroſiva.

Sed ſi virus illud eſſet indolis hujuſmodi, id ſtatim ab impuro coitu vel coagularet humores, vel partes ſolidas tactu ſuo roderet, exulceraretque. Nullum eſt acidum fixum corroſivum, quod exteriùs applicatum, vel intrà ſanguinem injectum, non illicò vires ſuas exerát. Sed virus venereum non ſtatim ab impuro coitu gonorrheam, cancros, ſarcomata, bubones producit, ſed paucis diebus elapſis. Dices forſan virus illud hujus eſſe indolis, ut partibus ſul-

phureis, quibus sanguis scatet, facili negotio implicetur, quod dein ad libitum extricari contendes. Esto, sed quorsum poterit virus hoc in sanguinem raptum tandiù, ut interdum fit, resistere illibatum naturali sanguinis fermentationi, & febribus diversi generis. Nonne rami sulphurum perpetuò exsolvuntur? Ramis illis explicatis, nonne remanerent extricatæ partes acidæ? Extricatæ verò, & exsolutæ, nonne cum salibus alkalinis fermentescerent, nonne formam suam mutarent, amitterent, ac destruerentur? Sed supponitur acidum illud venereum intricari primùm sulphurum ramis, nec priùs extricari ab his, quam cùm se prodit ipsa lues; tunc certa quædam fermentatio, certa quædam humorum diathesis requiruntur. Hæc sacra superest anchora, quâ semel à sulphurum compedibus liberati sales, nunquam ampliùs iisdem compedibus possint irretiri. Verum quo pacto poterit virus adeò multiplicari, ut, quod vix ab initio millesimam unius grani partem æquaverit, jam crescat in immensum? Quo pacto fiet, ut, quod uni duntaxat humani corporis parti primùm adhæserit, jam singulos humores coagulet, unà cum sanguine per vasa rapiatur, idque liberum, nec ampliùs sulphurum vinculis irretiatur, deìn plurimas erodat partes intactis aliis, modò unicam duntaxat partem aggrediatur? Num poterunt salia corrosiva, eaque acida, de novo produci, generari, multiplicari intra textum sanguinis alkalini, alkalinæque lymphæ. Hoc si verum esset, totus venereâ lue inquinatus

ſanguis, & univerſa lympha mutarentur ex alkalinâ naturâ in acidam, quod experientiæ repugnat. Qui hæc ſupponunt, ludos faciunt, nec ipſorum ſententia facit ſatis.

Aliam ergò perpendamus quæ multò videtur & expeditior & probabilior, *à viventibus vermiculis venerei morbi.* Id die 20. Julii anni 1713. tanquam veroſimile propoſitum fuit in Academiâ Monſpelienſi, non quòd crederetur magnâ copia fluitare vermiculos in virili ſemine, ut innuit D. Andry Tract. de Vermib. pag. 107. ſed triplici potiſſimùm ratione. 1°. Quia veri dantur vermes venerei ex conſenſu ejuſdem Auctoris pag. 56. & authoritate D. Hartſoeker pag. 106. 2°. Quia poſitis ejuſmodi vermibus omnes venerei morbi multò faciliùs explicantur, quàm in quâcumque aliâ hypotheſi ad hunc uſque diem cognitâ. 3. Quia virus venereum radicitùs extingui nequit, niſi per frictiones mercuriales, quibus omnis verminoſa proles funditùs evertitur. Singula hæc tria ſeorſim expendenda ſunt.

Omne animal ex ovo; ergo & vermes. Horum ova ſæpè per alimenta, nonnunquam per aërem, interdum per maſculinum ſemen ingrediuntur corpus humanum. Sed ova hæc ſuos non profundunt vermes, niſi priùs convenienti calore fuerint, ut ita dixerim, incubata; non autem incubantur in homine perfectè ſano. Sanus homo, & naturaliter conſtitutus omnimodè caret vermibus etiam ſeminalibus, quidquid aſſerat D. Andry capite XII. Contrarium enim

evincunt Observationes D. Verheyen Anat. corp. hum. lib. 2°. tract. 1°. cap. 15°. Quæstionem proponit utrum semen microscopio examinatum, sit congeries minutissimorum animalium. Post examen liquoris piperati indefinitis vermibus scatentis, tùm & seminis variorum animalium ita concludit pag. 68. & 69. *Non potui à meipso impetrare ut judicarem motum illum particularum seminis animalem esse, aut dirigi ab ullâ phantasiâ, sicut mihi visus fuerat dirigi motus à liquore piperato de quo suprà. In hoc enim cernebantur animalcula transcurrere modò tardiùs, modò celeriùs, aliàs lineam rectam, aliàs obliquam, & sub hoc, illove angulo inflexam describendo. Quandoque videbantur sibi mutuò occurrere & locum cedere; nonnunquam regredi, non per modum repercussionis, sed sese vertendo, sic ut eadem semper præcederet extremitas, ferè uti in acervis formicarum. In semine autem agitabantur particulæ valdè confusè, sicuti moventur corpuscula in radiis solaribus per fenestram splendentibus, vel particulæ nivis tenuioris vento multùm agitatæ.*

Hinc suspicatus sum particulas illas in semine ita motas, esse vulgaria & inanimata corpuscula; quæ non ex seipsis, sed impulsu particularum subtiliorum, ac magis activarum agitantur: hancque agitationem perdurare quandiù præstò sunt particulæ illæ subtiliores, seu spiritus agitantes, quos vocant spiritus genitales, & auram seminalem, quos credo nequidèm per microscopium posse conspici.

De vermium ovis, quæ per alimenta, vel per

aërem homini accedunt, de eorum incubatione, differentiis, effectibus, diagnosi, prognosi, & curatione non minùs doctè quàm utiliter tractavit jam laudatus D. Andry. Nunc de ovis tantùm, quæ per virile semen accedunt, & in eodem corrupto semine præter naturam incubantur, agendum nobis est.

Venerea vermium ovula semper in semine inquinato sunt, cùm semper Lues Venerea ortum ducat ab impuro coïtu. Semen inquinatum putrescere in prostibulis, probat eorum intensus hircinus odor. In catamitis magis etiam putrescit, ob alvinas fœces. Cùm putrescit, hoc fit ex nativo calore partium, in quas emissum est, & ex eâ putrefactione, ut ex aliâ quavis, foventur & excluduntur ovula. Hinc vermes venerei. Statuendũ ergo est oriri luem veneream ex inquinato semine, quod dum putrescit, opportunum fit venereorum ovorum incubationi. Exclusi vermes, alios aliosque procreant. Et hinc propagatio veneni. Non potuisset venerea lues ex Indiâ Occidentali in Europam transferri, ac dein ex solâ unius scorti impuritate citò diffundi in Gallorum & Hispanorum exercitus, nisi per venereos vermes, qui numerosam ovorum fœturam continenter effundentes, multiplicantur in immensum, ex solâ inquinatorum seminum corruptione.

Qui veneream luem oriri putant ex priscorum elephantiasi, hi protinùs venereos vermes admittant necessum est. Namque omnis antiquorum lepra ortum habuit à viventibus vermiculis, ut abundè probavit R. P. D. Augustinus Calmet

Benedictinus, Differt. de Leprâ, initio fui Commentarii litteralis in Levit. Nec potuit inveterata lues venerea viciſſim faceſſere in Elephantiaſim, verminoſum morbum, niſi & ipſa verminoſa foret.

Inſuper, quo pacto fieret ut jam virus venereum minori atrocitate atque celeritate in Europâ graſſaretur, ut ſuprà relatum, niſi verminoſa hæc proles jam languore vel marcore confecta aliquatenùs immutata fuerit, ſive mutatione ſoli, ſive novis & inaſſuetis variorum vermium copulationibus, ſive remediorum ope ac miniſterio? Nonne ſic poſſunt ejuſmodi vermes, qui priùs forſan dentibus inſtructi carnes depaſcebantur, nunc mutatâ priori formâ, dentibus orbari, & piſcium inſtar humoribus ſolùm innatare? Qui admirabiles omnium inſectorum metamorphoſes attenderit, hanc olim leproſam, nunc veneream vermium productionem facilè concipiet. Vide quomodo plurimi vermes ſenſibiles vertantur in muſcas & papiliones. Nonne igitur inſenſiles leproſi vermes, olim carnivori, potuerunt ſucceſſu temporis commutari in venereos, tenuiores, ac debiliores, qui nunc ſolis nutriantur humoribus? Spermatici nonniſi ab impuro coitu procedunt, & ideò ſæpiùs gonorrhæam ac teſtium inflationem procreant, nimirùm quatenùs inſunt ſemini proſtatarum, veſicularum ſeminalium, teſtiumque, qui cùm deinceps tranſmittuntur è ſemine in ſanguinem, lympham vel lac, & ab iis humoribus nutriuntur, tunc mutato nomine vocari

possunt sanguinei, lymphatici, lactei. Imò cùm certum sit nullam omninò esse corporis partem, quam non inficiat lues venerea, & ad quam venerei vermes per humorum circuitum traduci non possint, nihil vetat quominùs ejusmodi vermes, pro variâ humani corporis parte in quâ stabulantur, vocari possint, ut placet D. Andry pag. 41. Encephali, Pulmonales, Hepatici, Splenici, Cardiaci, Pericardiaci, Vesiculares, Helcophagi, Cutanei, Umbilicales. Præterea Encephali ab eo dividuntur in Encephalos propriè dictos, Rhinarios sive Nasicolas, Auriculares, Dentarios, aliosque.

Vermes venerei singulos morbos venereos producunt vel fovent, non mordendo atque rodendo, ut contendit D. Hartsoeker pag. 423. sed simpliciter obstruendo. Cùm coitûs tempore per uretram repunt ad prostatas, gonorrheam pariunt; cùm genitalibus adhærent, cancros venereos, & venerea sarcomata. Cùm circulationis ope deferuntur in inguina, bubones. Cùm serpserunt ad podicem, ficos & mariscas; & sic de cæteris. Singula hæc non subitò contingunt, sed paucis duntaxat ab impuro coitu diebus. Oportet ut aliquandiù nidulati fuerint venerei vermes in sedibus occupatis, ut copiosâ generatione ibi sint multiplicati, ut ex eorum congestione pariant in vasculis obstructiones, quibus ipsa disrumpantur vascula, effluant humores, & effusi computrescant. Tria hæc ex obstructione solâ, absque ullâ salis accessione, facilè deduci possunt; prout demonstratum est

in dissertatione de Tumoribus editâ à clarissimo Professore D. Deidier Monsp. an. 1715.

Fœcundandis vermium venereorum ovulis, ipsisque vermibus fovendis, modò magis, modò minùs commoda est adultorum constitutio, modò penitùs adversa. Et hinc maturiùs aut tardiùs sese prodit venerea lues. Sique pauciores admissi fuerint vermes, tunc vel penitùs extinguentur, vel nonnisi ad sequentes generationes lues suscitabitur. Ova memorata faciliùs excluduntur, & vermes blandiùs nutriuntur in virili semine & lacte muliebri; blandiùs quoque in fœtu ac puero recenter inquinato; nimirum quod in his dulciusculi ac tepidiusculi sint humores. E contra fervidiores sunt & acriores in adultis. Hinc vides cur gonorrhea virulenta, prostatarum inflammatio, ac dein exulceratio frequentiores sint quàm alii morbi venerei. Vides cur gonorrheæ fortiori superveniant interdum testium tumores. Cur Pater viru venereo adhuc sopito inquinatus, prolem pariat extricato viru correptam. Cur in Nutricibus, Pueris lactantibus citiùs & validiùs evolvatur virus, quàm in Adultis. Ad hæc, cur in adultiori ætate venerei morbi sæpiùs membranas, cartilagines, & ossa, quàm carnosas partes aggrediantur. Venerei vermes raro admodùm sanguinei sunt, sæpe lymphatici, frequentissimè spermatici vel lactei.

Sopita lues tunc suscitatur, cùm ova vermium venereorum nativo partium calore quasi incubata novos effundunt vermes. Hi convenienti pabulo

enutriti, rursus copulantur, & nova profundunt ova fœcundata. Sic infensi hospites ulteriùs & ulteriùs propagati, colonias mittunt in sedes varias, pro variâ partium dispositione. Sic modò caput solum, modò soli artus, interdum musculi, nonnunquam ossa infarciuntur venereis vermibus, absque ullâ totius sanguinis inquinatione. Namque sanguinem, suis refertum vermibus sanguineis, probè constitui, plurimis constat observationibus ex citato Tractatu de Vermibus. pag. 56.&103. Verno tempore plura excluduntur ova vermium, ob intensiorem sanguinis teporem. Hinc & numerosior vermium propago. Sed & hinc omnes venerei morbi recrudescunt verno tempore. Ideò autem dolores venerei nocte recrudescunt, quia pacato humorum circuitu vermes validiùs agitantur in propriis liquidis; simili prorsùs ratione doloribus venereis multò magis torquentur, qui sunt lue inquinati, dùm vitam ducunt otiosam, quàm dum validis exercitiis agitantur.

Prætereà, cur, extricatâ semel lue venereâ, inflictum in homine, alioquin sano, vulnus externum, quantumvis leve, sordidum redditur, inflammatur, cancrosum fit? An tunc recurres ad salia corrosiva, sano sanguini permixta? Nonne expeditiùs & probabiliùs erit asserere venereos vermes qui priùs liberè per lymphæ lacus ferebantur, tunc, solutâ vasorum unitate, in vulnere cumulari, ibidem copulari, ipsorum ova dulci suppurationis calore foveri, excludi? Sic sanè coacervati vermes venerei obstructiones pariunt,

foventque. Sic impediunt solutæ partis unionem. Idem prorsus esto de quolibet alio morbo, qui producitur vel fovetur à viru venereo.

Postremò, ad curandos hujusmodi morbos, non satis sunt alkalina acidum destruentia, nec sudorifica vel amara, quæ vermes enecant, expelluntque. Hujusmodi auxiliis mitigantur quidem fœda luis symptomata, sed dein ex intactis ovis nova vermium venereorum cohors sobolescit, & recrudescit malum. Mercurius verò vermiculos venereos, eorumque ova penitùs discindit, dissolvitque. Modò ritè usurpetur, is omne insectorum genus perimit; igitur & vermiculos venereos. Hoc est potissimum illud argumentum, quo maximè nititur conjectura vermium venereorum, de quibus agebatur in Thesi Monspeliensi mensis Julii 1713. quam oppugnavit D. Andry. Conjectura hæc ulteriùs confirmari poterit; nimirùm examine ipsius mercurii, tùm & medicaminum, quæ ex eo præparantur. De his nunc agendum.

Mercurius crudus vel fluens, alio nomine Hydrargyrum, id est Argentum Aqueum, & Argentum Vivum, definiri potest *Minerale corpus summè liquidum, ac maximè ponderosum, cujus partes integrantes etiam minimæ constanter rotundæ sunt, ac perpolitæ.* Dico 1°. Mercurium esse corpus minerale, cùm ex omnibus fermè mineris in Hungariâ præsertim & in Hispaniâ eruatur. Per id convenit cum omnibus aliis corporibus, sive liquidis sive solidis, quæ mineralia vocantur, prout è mineris fluunt, vel

educuntur. Dico 2°. minerale illud summè liquidum esse, ut intelligatur hydrargyrum, licet planetæ nomine insignitum sicut cætera metalla, nequaquam metallum esse nec semimetallum; quidquid afferant nonnulli. Omne siquidem metallum solidum est, fusile, & malleo ductile, secùs verò Mercurius. Is ita est naturâ suâ liquidus, ut, quanquam expositus aëri frigidissimo, nunquam concrescat, & quamquam aliorum corporum additione quocunque modo solidescat, dehinc ab iis solutus nativam suam recipit liquiditatem. Dico 3°. liquidum illud esse maximè ponderosum, ut constituatur alia Mercurii differentia. Nullum enim, quod sciam, reperitur in rerum naturâ corpus naturaliter liquidum, quod accedat ad Mercurii pondus, & ipse Mercurius magis accedit ad pondus auri, quàm ullum metallum. Dico 4°. partes illius integrantes rotundas esse ac perpolitas; quod ex cunctis hydrargyri proprietatibus manifestum fit, ac præsertim ex specificâ illius gravitate ac volatilitate. Ex volatilitate, quòd ferè subitò diffletur igne, ac in auras abeat. Ex gravitate, quòd ejusdem materiæ corpora eò graviora sint, quò magis sunt compacta & exquisitiùs rotunda. Superficies sphærica, est omnium superficierum æqualium capacissima. Minutissimæ sunt rotundæ illæ Mercurii moleculæ, quia facilè igneâ vi dissipabiles. Et compactiores, quia ponderosæ. Liquidæ verò, quòd rotundæ, perpolitæ ac minutissimæ facili negotio ex impulsu æthe-

reæ materiæ labantur inter se, versentur, agitentur. Quo pacto fiet, inquies, ut tota Mercurii massa adeò gravis sit, cùm tot interstitia inter globosas ejus particulas disjecta tantopere videantur ipsius gravitatem minuere? Adeò gravis est massa illa, quia singulæ ipsius particulæ sunt compactissimæ. En exemplum. Duplex esto massa æqualis molis, plumbea & lignea. Integrum maneat lignum, plumbum verò fundatur in granula. Hoc posito, nonne fluxilis quodammodo est istorum granulorum aggeries? Nonne ponderosior datâ massâ ligneâ? Unde verò, nisi quod multò porosius lignum sit, & granula illa plumbea multò sint compactiora? Nec obstat nativa illa Mercurii gravitas, quin rotundæ illius moleculæ facillimo negotio igneâ vi diffleutur ac dissipentur. Faciliùs motum concipiunt graviora corpora, & conceptum faciliùs retinent. Explodantur simul tormento bellico globus ferreus, globusque ligneus, & experieris quinam longiùs feretur. Idem experieris, si totis viribus projeceris globum ferreum, & globum suberinum. Nec est quod hîc causam physicam referamus.

Mobilia corpora motum suscipiunt ratione molis; communicant verò ratione superficiei. Moles autem propria singularum mercurii particularum magna est, & superficies exigua: ergo magnam illæ motûs quantitatem concipiunt. Conceptum verò motum conservant diutiùs. Moles propria magna est, utpote solidior & ponderosior. Superficies exigua, ob figuram rotundam.

Mercurius dissolvit aurum solidissimum, aliaque metalla, quod fluitantes exiguissimi illius globuli intra poros metallicos illabuntur, & occursantia pororum latera tùm pernicitate motûs, tùm ingenitâ soliditate diducunt atque diffringunt. Confirmatur vis globulorum mercurialium experimento speculi ustorii. Cùm id colligit solares radios, ac in aurum, aliudque metallum, in radiorum foco positum reflectit, repentè dissolvitur, liquefit metallum, ex eo solo quòd illapsi radiorum globuli solvant strictiores particularum metallicarum nexus.

Rarò purus ac impermixtus se proditMercurius; sæpè fœtus est, & inquinatus particulis heterogeneis, metallicis, sulphureis, arsenicalibus. Quare purgandus, antequàm ad usus medicos vertatur. Nec ejus purificationi satis est simplex illius filtratio facta per corium rupricaprinum. En purificationem ejus legitimam.

℞ Mercurii vivi, & Sulphuris communis partes æquales, v. g. ad libram unam & semissem. Immittantur simul in scutellam figulinam, ignis patientem. Accendatur Sulphur, assiduè materiam agitando, eidemque rursus adde Sulphuris ℥ii; quibus accensis atque consumptis fixus remanebit Mercurius, idque sub nigri pulveris formâ. Sic fixatum ac pulveratum Mercurium misce cum duplâ portione Calcis vivæ, vel Salis tartari fixi, vel Limaturæ chalybis aut ferri, & mixturam mitte in retortam, cui aptetur ex-

cipulum aquâ plenum. Subdatur deinde ignis reverberii gradatim augendus, donec totus effluxerit Mercurius. Eductum semel & iterum ablue, dein trajice per pellem caprinam fortiter exprimendo. Servetur ad usus.

Jungitur in hâc operatione Mercurius sulphuri, ut in pulverem redigatur, sicque misceri possit cum calce, sale, vel ferro. Mixtura hæc distillationi mandatur, ut, relictis in vasis fundo extraneis quibusvis partibus, sincerus ac redivivus hinc exurgat Mercurius, cujus partes integrantes igneâ quâcunque vi facilè elevantur, ut mox dictum est. Nulla est Mercurii præparatio, ex quâ non educatur præscriptâ methodo Mercurius redivivus. Maximo dicendi argumento minerale istud nunquam resolvi posse in partes essentiales, sed vario modo larvatum suam servare semper partium globulosarum formam.

Mercurius sic purificatus, vel simplici sulphuris communis additione, dicitur Æthiops mineralis. Eaque mixtura, si sublimetur, facescit in Cinnabarim. Si verò misceatur Mercurius cum salibus acidis nitri, salis, atque vitrioli, ac sublimetur, constituit Corrosivum potentissimum. Quod quidem triplici sublimatione convertitur in dulce medicamen Aquilam albam dictum. Hæc rursùs decies sublimata vertitur in Panaceam Mercurialem. Prætereâ, Mercurius semel in aquis stygiis solutus, dein variorum corporum additione præcipitatur modò in Pulverem album, modò in rubrum, nunc in luteum, nunc in viridescentem. Postremò ipse-

met Mercurius crudus unguenti Neapolitani formulâ exteriùs applicatur ad Luem veneream penitùs eradicandam. Eaque ſunt præcipua Mercurii præparata, quorum agendi modus nunc indagandus eſt.

Æthiops mineralis eſt pulvis niger, compoſitus ex æquis partibus Mercurii crudi, & Sulphuris vivi, quæ ſimul exactè miſcentur vel ignis beneficio, ut in formulâ ſuperiori, vel diuturnâ agitatione in mortario; & poſterior hæc methodus priori anteponenda. Frequenter autem uſurpatur interiùs Æthiops ille mineralis ſine igne paratus à granis octo ad dragmam ſemiſſem, non modò ad juvandam vim catharticam purgantium in morbis Cutaneis, verùm etiam in Bubonibus, Cancris venereis, Gonorrheâ virulentâ, aliiſque venereis affectibus. Hoc habet ſingulare Æthiops iſte mineralis, ut ſuos ubique præſtet effectus ſanguinem exagitando, abſque ullo ſalivationis metu; quia tunc integrantes Mercurii partes craſſiori ſulphuri conjunctæ contactum fugiunt ſalivæ aquoſioris.

Secùs ſe res habet, poſtquàm per ſublimationem is fuerit converſus in Cinnabarim rubicundam; tunc enim Sulphur magis rarefactum, & Hydrargyrum in minores globulos diviſum, ambo conſtituunt aliud medicamen rarò purgans, plerumque ſudorificum, vel ſalivationem movens. Id à gr. VI. ad XXX. interiùs uſurpatur per aliquot dies. Sed & Cinnabaris hæc carbonibus accenſa fumos emittit, qui ſi exteriùs ad callos venereos per infundibulum deriventur,

eos cum felici successu resolvunt, nimirùm praxim hujusmodi continuando per horæ quadrantem, manè ac serò, per dies aliquot si opus fuerit. Dum adhibetur hujusmodi suffumigatio, maximâ curâ cavendum est ne fumus illibatur in os ægrotantis; excitaret enim fluxum oris, quem arbitramur infestum. Id probatur observatione, scitu dignâ, cujus & ego testis. Eam mihi perhumaniter communicavit laudatus jam D. Deidier, suis verbis expressam.

Die 10. mensis Maii labentis anni 1716. sese contulerat in diversorium Monspeliense, nomine le Louvre, *Mercator Hibernus ægrotans, ætatis circiter annorum 36. Ab eo advocatus, vidi primò ulcus cancrosum atrâ obductum crustâ, alam dextram ejus nasi & partem labri superioris occupans. Exciderant nasi cartilagines, extremitas vomeris, & nonnullæ laminarum ossearum partes. Ita pars nasi media subsederat, ut hinc apparuerit quædam cicatricis irregularis species, quasi nasus fuisset transversim cæsus ac rursus deinde coaluerit. Ortum duxerat ulcus illud à fundo palati, columellam penitùs exederat, serpseratque sensim per Lacunar faucium; unde cùm loquelæ difficultas, tum horrenda mephitis. Æger planè tabidus, atroces patiebatur dolores in articulis, in capite, in humeris, brachiis, cruribusque, ac præsertim nocturno tempore. Pluribus laborabat exostosibus, nimirùm in parte mediâ & laterali utriusque humerorum, in parte anteriori tibiæ utriusque, & insigni in ossis Coronalis medio. Torquebatur dolore, tum noctû tum quavis temporis mu-*

tatione in infimâ parte tibiæ ſiniſtræ, ubi fuerat jampridem effracta & obducta callo. De labe venereâ nullus dubitavi. Interrogatus æger faſſus eſt ſe duntaxat ſemel iniiſſe Domicellam, Dublini, *ab hinc annis ſex ſeptemve. Impurum cognovit coïtum, quòd pauciſſimis diebus pòſt apparuerint in glande exigui quidam canori duo vel tres, paulò ardentior urina effluxerit, imò & puris gutta. Gonorrhœam arbitratus, ſumpſit pilulas Mercuriales, & Ptiſanas ſudorificas, ſed fruſtra; mòx enim invaſerunt dolores, & exoſtoſes emicuerunt. Ventum igitur ad luis venereæ curationem, juxta ſolitum in Hiberniâ curandi modum. Excitati ſudores initio, deinde ſalivationes ter repetitæ, ſemel & iterum frictionibus Unguenti Mercurialis. cujus duæ tantùm unciæ fuerunt adhibitæ; tunc enim ſe prodidit ulcus palati. Quò ulcus hoc profligaretur, præſcriptum fuit ut per aliquot dies ore cinnabarinum fumum exciperet, unde tertia ſalivatio procurata. Hæc ita fuit contumax, ut per dies circiter* 20. *ſine intermiſſione perrexerit; nec ulcus evanuit, ut ſperabatur, ſed & à palato per lacunar faucium ſerpſit ad naſum, quem, ut ante relatum eſt, ita dirum fecit. Hinc ægro conſilium praxim Monſpelienſium experiundi. Singulare malum mihi viſum eſt, & annuit æger ut collegæ ac periti Chirurgi in conſilium vocarentur. Advocati ergo* D. Chicoyneau ſaluberrimæ Facultatis Cancellarius, *ac* D. Fizes Doctor ejuſd. Facultatis, *tùm & Chirurgi* D. Barancy *ac* D. Gondauges. *Morbum, ſymptomata, & quæ præceſſerant omnia expoſui. Examinatus æger. Singu-*

lisque ritè perspectis, unanimiter Decretum est ut æger humectaretur balneis domesticis & lactis usu, & ita frictiones mercuriales administrarentur ut vitaretur salivatio, & diù remaneret æger in linteis inunctis. Crastinâ post consultationem die, advectus is domum D. Barancy. *Ibi, me præscribente, cuncta diligentissimè fuerunt ex Decreto administrata. Die subsequenti, post primam frictionem, quâ inuncti pedes fuerant unicâ duntaxat Unguenti Mercurialis semuncia, salivatio suboriri videbatur. Intermissa per biduum frictio. Non excessit secunda frictio semunciam Unguenti, eaque in mediâ utriusque tibiæ parte adhibita est; & quia itidem die crastinâ salivatio suboriebatur, intermissa per aliquot dies frictio. Interim diebus singulis leviter inungebatur Unguento Mercuriali memorata nasi & labri crusta, & linamento obducebatur. Ea quidem mox decidit. Sed totum ulcus nasi & palati non-nisi post dies* 18. *aut* 20. *sanatum est, idque per varias subsequentes frictiones, quæ fuerunt cùm cautelâ administratæ. Partes exostosibus superjectæ, fuerunt itidem illitæ Unguento, & linteis obductæ diebus fermè singulis, sed non-nisi post menses duos ac medium penitùs evanuerunt. Cautum fuit à sudoribus, ab alvi fluxu, à salivatione, per totam curationem. Æger toto curationis decursu potissimum lacte pastus est, inter remedia pinguefiebat. Et circa medium Augusti mensis Monspelio profectus est in Bataviam, perfectè sanatus ulcere, doloribus, exostosibus.*

Ex superiori relatione consequitur Cinnaba-

rinum fumum exceptum ore, Luem veneream non tollere; sed acerbiora symptomata interdum suscitare. Transeamus jam ad alias Mercurii præparationes. Sublimati autem corrosivi formula hæc est.

℞ Mercurii ex Cinnabare redivivi, quantum voles. Solve in s. q. Spiritûs nitri. Solutionem vapora usque ad siccitatem & albedinem. Relictæ massæ in pulverem redactæ, misce Salis communis decrepitati & Vitrioli ad albedinem calnati pulveratorum, ad partes adhibito mercurio æquales. Mixturam in brevioris colli matratio repositam balneo arenæ sublima in cristallinum corpus saliniforme, quod, refrigerato vase, reperies albissim im lateribus matratii adhærens. Hoc à fæcibus separetur, usuique servetur.

Hujusmodi præparatione tenuissimi ac perpoliti Mercuriales globuli ita junguntur particulis acidis Nitri, Salis, atque Vitrioli, quas intimè penetrant, ut hinc emergat corpus solidum, quod aquosi liquidi accessione facilè dissolvitur in integrantes moleculas. Hæ solutæ vehementer impingunt in solidas corporis nostri partes, easque corrodunt. Unde dicitur corrosivum potentissimum, exedendis superfluis ulcerum carnibus aptissimum. Sed pestis omninò foret usus ejus internus; illicò enim linguam, fauces, œsophagum, ventriculum inflammaret, & gangreuâ lethali afficeret.

Cur autem sublimatum illud aquâ dissolutum

ita potenter rodit ac depascitur? Non equidem globulorum mercurialium ratione, qui vulgò creduntur ex infixis salinis partibus horridi; sed tantummodò ratione partium salinarum, quas ipsi globuli penetrarunt. Hinc probatur salium textus à globulis mercurialibus penetrari, quòd corpus illud saliniforme suam deponat virtutem corrosivam, & dulcificetur tùm cùm adjecto mercurio novas patitur sublimationes, per quas fit ut ipsius particulæ salinæ novis penetrentur globulis mercurialibus, & sic in minutissimas atomos discindantur.

℞ Sublimati corrosivi in pulverem redacti partes quatuor; Mercurii crudi è Cinnabari redivivi partes tres. Agitentur simul in mortario vitreo usque ad omnimodam Mercurii extinctionem. Ortum exinde pulverem mitte in Phialam, vel Matratium brevioris colli, & subdito igne arenæ fiat ex arte sublimatio. Fracto deinde vase, separetur Cristallinum sublimatum superiori vasis parti adhærens. Hoc in pulverem redactum novo indatur Matratio, ut nova perficiatur sublimatio. Sublimationis opus denuò repetatur. Sic obtinebis Sublimatum dulce, quod Aquila alba vocari solet.

Hujusmodi medicamen citra noxam interiùs usurpatur à gr. x. ad dragmam semissem. Leniter purgat & potissimùm convenit in omnibus affectibus venereis, ad enecandos vermes, & tollendas viscerum obstructiones. Suos autem

præſtat effectus ratione partium integrantium, quæ levem adhùc ſalium formam retinent, adeòque leniter irritant.

Quod ſi Sublimatum illud dulce ſublimetur ulteriùs, ſcilicet novies, & per quindecem dies maceretur in ſpiritu vini alkoolisato; tunc factâ ulteriori penetratione Mercurii intra textum acidorum, novum habebis medicamen mitiſſimum, Panaceæ mercurialis nomine inſignitum. Hoc à gr. v. uſque ad xxx. bis in die interiùs ſumptum, & aliquandiù continuatum, movet raro catharſim, interdum ſudores, vel urinam, plerumque ptyaliſmum. Hæc autem fiunt ratione partium integrantium Mercurii, quæ, amiſsâ quidem liquiditate, non facilè fluunt in vaſa, ſed ſemel ſanguini permixtæ mole ac ſoliditate agunt, humores dividunt, & memoratas evacuationes promovent.

In hujuſmodi ſublimatis, crudus Mercurius ideò deponit nativam liquiditatem, quia ſingulæ illius partes globuloſæ ac ſolidæ, tùm ſimplici trituratione, tùm & repetitis variis inter ſublimandum colliſionibus, propelluntur in intimum acidorum textum, eâ propemodùm ratione, quâ vulgares artifices aurum, ſtannum, aliàque metalla ſic Mercurio tractant, ut ſimplici, ſed continuo affrictu liquidum Mercurium propellant intra textum metallorum, quæ quidem priùs dura, ſenſim remolleſcunt ad opera varia, pro neceſſitate artificum. Simili pacto, ex continuato Mercurii affrictu variè remolleſcunt, ſuamque ſenſim deponunt corroſivam acidita-

tem acida, quæ naturâ suâ sunt dura firmaque. Et hinc est cur primum sublimatum summè sit sapidum & corrosivum, secundum simpliciter dulce, tertium verò penitùs insipidum. Remanent interim omninò illibatæ partes integrantes mercurii, cùm is per distillationem educatur sub suâ priori formâ, tum ex sublimatis ac præcipitatis mercurialibus, tum ex auri stannique præparatis. Secùs autem accideret, si non mercurius acida, sed acida mercurium penetrarent.

Præcipitata mercurii sæpè confunduntur cum ejusdem magisteriis, sed ab iis distingui debent. *Magisterium* in genere nuncupetur *corpus illud, quod, postquam proprio menstruo solutum fuit, novam deinde formam, factâ liquidi vaporatione, consequitur. Præcipitatum verò* dicatur *quod jam liquido solutum, fundum ejus petit, non vaporatione, sed alterius corporis additione.* Itaque Mercurius, qui spiritu nitri solutus facescit per vaporationem primò in albicantem massam, ac ulteriori vaporatione in rubicundum pulverem, magisterium erit, non præcipitatum. Erit verò præcipitatum, non magisterium, si memoratæ dissolutioni addideris aquam sale marino saturam, vel spiritum salis defæcatissimum. Prodibit præcipitatum rubrum, si guttatim affuderis Oleum tartari per deliquium sublimato corrosivo in aquâ soluto. Fiet verò præcipitatum album, cùm eidem solutioni fuerit affusus Salis Armoniaci spiritus.

Mercurius à spiritu nitri exsolutus, suos habet globulos intimè junctos acidis nitri particu-

lis; simul conjunctæ particulæ solidescunt, vel factâ simplici dissipatione partium aquosarum à quibus exsolvebantur, vel novâ salis marini accessione. Sed & ex intimâ illarum conjunctione fiunt graviores menstruo, & fundum ejus petunt. Idem dices de sublimato corrosivo in aquâ soluto, cùm præcipitata suppeditat. Atque illa est diversorum corporum unio, quæ cogit Chymicos vera præcipitata abluere, nimirùm ut sejungantur salia præcipitantia, quæ adimplendis intentionibus curativis adversarentur. Ita mercurii præcipitatum album additione salis marini paratum, nec non rubrum sale tartari refertum, sæpiùs ablui debent aquâ tepidâ, ut abstergantur ea salia quorum conjunctione præcipitata fuere. Nec semper satis est hæc iterata salium abstersio; interdum requiritur ut ejusmodi præcipitata diù maccrentur in spiritu vini alkoolisato, & ille dein spiritus accendatur, materiam identidem agitando, videlicet ut quæ salia non potuerint lotionibus abstergi, vel obtundantur à spiritu sulphureo, vel absumantur cum eodem accenso. Id præsertim observatur in hoc turpetho minerali, quod impropriè vocatur præcipitatum luteum, cùm verum magisterium sit.

℞ Mercurii è cinnabare redivivi partem unam, Olei vitrioli partes quatuor. Indantur retortæ vitreæ. Hanc impone balneo arenæ. Mox aptabis excipulum, & lutatis juncturis ignem validum accendes, usque ad candescentiam vasis. Ig-

nis continuetur, donec omnis humiditas ſtillarit. Hæc ſtillatio iterùm atque iterùm quartâ cohobatione repetatur. Dein frange retortam, ut educatur materia, quam in mortario vitreo pulverabis. Aquam huic pulveri affunde. Sic in inſtanti materia priùs alba tranſibit in pulverem luteum, quem multis iteratis lotionibus edulcorabis. Eum dein exſiccabis, & exſiccatum macerabis per dies aliquot in ſ. q. ſpiritus vini alkooliſati. Ac poſtremò admotâ flammâ ſpiritum accende, ſimulque materiam exagita, & eam ad uſus ſerva.

Turpethum iſtud minerale, nunquam debet interiùs uſurpari, ad morborum venereorum curationem, multò minùs ad eradicandam Luem veneream. Eſt validiſſimum carthartico-emeticum, interdum ſalivationem movens. Hoc uſus fuerat Civis quidam Aigomortenſis ex conſilio Villici. Morbus quidem hinc ſopitus eſt, ſed 20. poſt annos tantus dolor venereus à zygomate ſiniſtro naſum versùs invaſit, ut nec loqui auderet ille nec manducare, coactuſque omninò fuerit ad certam Monſpelienſium curationem confugere, & Villicum deteſtari. Aigomortenſis Medicus ordinarius D. Fauville, Doctor Monſpelienſis totum curationis opus direxit prudentiſſimè.

Hæc & ſimilia Mercurii præparata, utut fuerint ſæpiùs edulcorata, uſui duntaxat externo adhibenda ſunt, nimirùm ad exedendas carnes ulcerum ſuperfluas. Exedunt autem, urunt, ſcar-

ram inducunt, pariuntque dolorem, utpote ſalina, quæ ulceratæ partis calore, & oſcillatione arteriolarum agitantur, propelluntur intrà partes carneas, eaſque diſcindunt, exſiccant, & quaſi redigunt in carbones. Multò faciliùs & abſque dolore abſterges ulcera venerea ſequenti Balſamo mercurii, quem paucis abhinc annis invenit, & in noſocomio Monſpelienſi ſæpè felici cum ſucceſſu probavit D. Deidier.

℞ Mercurii purificati, & Spiritus nitri optimi ana ℥ii. Olei dulcis olivarum libram unam. Hæc tria ſimul reponantur in vaſe vitreo amplioris aperturæ, v. g. in cucurbitâ. Concitabitur motus fermentativus, eoque finito, materies refrigerata per ſe coagulabitur. Concreta hæc materies ſæpiùs abluatur aquâ frigidâ, uſque ad perfectam inſipiditatem. Exſiccatum Balſamum ſervetur ad uſus.

Mercurius & ſpiritus nitri infimam vaſis partem petunt, quia ſunt oleo graviores. Simul fermentando emittunt vapores calidos, quibus fovetur ab initio & adaugetur olei liquiditas. Ea verò poſtmodùm deperditur, quia ſulphurum rami coagulantur ab acidis nitri particulis mercurio refertis. Hujuſmodi coagulationem accelerat & adauget aqua frigida, quæ repetitis lotionibus adeò abſtergit ſalia nitri, ut Balſamum illud fiat penitùs inſipidum, & componatur præſertim ex oleo concreto fixatis mercurii globulis ſaturato. Id cùm applicatur ulceribus ſolo ſolutæ partis calore funditur & expanditur; fuſum

& expanſum copulatur extravaſatis ſulphureis humoribus, puri, ſanguini, & lymphæ; hos reddit liquidiores, nempè mercurii ratione. Sic uberiorem promovet ſuppurationem, ſuperfluas ulcerum carnes abſque ullâ roſione exſolvit, abſumit, abſtergit. Conveniet igitur Balſamum illud mercuriale, quoties volueris ulcera etiam non venerea laudabili ſuppuratione terminare; nec tamen illud veneream ſanguinis luem debellare par eſt, cùm mercuriales ejus particulæ ita coërceantur nitroſis, ut amiſsâ liquiditate non poſſint humorum circulantium vaſcula ſufficienter penetrare & humoribus permiſceri.

Cave fidem adhibeas Empyricis, qui ſe jactitant luem veneream perfectè curaturos, nunc Æthiope minerali, vel Aquilâ albâ, aut Panaceâ mercuriali, nunc præcipitatis mercurialibus, vel turpetho minerali, interdum ſolubili, ut vocant, Mercurio in ptiſanis ſudorificis exſoluto. Chymica hæc fixati mercurii præparata mitigant quidem ac ſopiunt luis veneræ ſymptomata, ſed hæc poſteà multò validiùs recrudeſcunt. Quamobrem? An quia fixatus mercurius extraneo ſale refertus nequit omnibus venereis ſalibus uniri. Sed, ut ſuperiùs demonſtratum eſt, in hujuſmodi præparatis non ſalia penetrant mercurium, ſed mercurius ſalia. Statuatur ergo globulos mercuriales ſalibus infixos nativam depoſuiſſe liquiditatem, cujus duntaxat ratione venereos vermes & vermium ova penetrare poſſunt atque deſtruere. Oſtendit experientia, rerum magiſtra, inſecta cuncta eorumque ova ex

ſolo mercurii affrictu perire. Simplici unguento mercuriali devaſtant mulierculæ propagines pediculorum, pulicum, cimicum, præſertim verno tempore, quo maximè illorum animalculorum ova excluduntur. Ejuſdem unguenti mercurialis affrictu perfectè curatur lues venerea. Quid ergo vetabit aſſerere virus venereum eſſe vermiculorum illuviem, quorum ova fœcundata verno potiſſimùm tempore excluduntur, & numeroſiſſimam fœturam emittunt? Hic ſubditur formula mercurialis hujus unguenti, quo vermes venerei perimuntur, & diffringuntur eorum ova.

℞ Mercurii crudi ritè defæcati, & cum ſ. q. Therebentinæ extincti partem unam. Axungiæ ſuillæ non ſalitæ partes duas. Agitentur diù in mortario uſque ad omnimodam mercurii extinctionem. Fiat ex arte Unguentum Neapolitanum uſui reſervandum.

Continuatâ piſtilli agitatione, globuli mercuriales per ramos ſulphurum therebentinæ & axungiæ ſenſim diſperguntur, ut tandem mercurius viſum effugiat; eoque ſigno dignoſces unguentum illud perfectum eſſe. In eo tamen remanet nativa globulorum mercurialium liquiditas, pondusque nativum, ita ut ſi diù ſervetur unguentum, & in loco calido, mercurius reperietur in fundo vaſis congeſtus. Ideòque ſervetur id in loco frigido, nec niſi recenter paratum uſurpetur. Vulneribus & ulceribus venereis ſimpliciter applicatum, ſolo ſolutæ partis calore

citò

citò permiſcetur humoribus, & cum ſanguine circulatur. Sæpiùs obſervatum eſt luem veneream univerſos humores inficientem, ex repetitâ hujus unguenti vulneribus applicatione, radicitùs fuiſſe ſanatam. Non recipiuntur in Noſocomium Monſpelienſe, qui Lue Venereâ infecti ſunt. Recipiuntur vulnerati. Sed latens virus, ſi quid ſit, ſe prodit per vulnera. Cùm verò ita languet æger ut dimitti non poſſit, tunc D. Deidier curat vulnus & ægrum ſolo Unguento Mercuriali vulneri applicito, idque præter ullam ſenſibilem vacuationem. Hâc de re obſervationem ſubſequentem mihi retulit D. De La Chauſſée Humeau Andegavenſis, condiſcipulus meus cariſſimus, qui quatuor abhinc annis Noſocomio frequens eſt.

Anno 1712. *Miles quidam præſidiarius, annorum circiter* 25. *temperamento ſanguineo, craſſus ac robuſtus, proſperâ utens valetudine, ſibi per incuriam infixit in medio dextræ manûs digito acutum ligni fruſtum dum lignaretur in ſylvâ. Magnopere intumuit digitus & manus tota. In Noſocomium ut curaretur admiſſus eſt.* D. La Peyronie, *Chirurgus peritiſſimus, digitum per longitudinem incidit perrexitque ad manûs palmam, immiſit vulneri Oleum Therebentinæ calidum; cùmque diutiùs ſuppuratio perſeveraret, manum totam ægrotantis ſæpiùs immerſit in excalefactis aquis Bellilucanis. Sed fruſtrà fuerunt hæc, aliaque remedia. Cancroſum vulnus factum eſt, manus pluribus fuit fiſtulis pertuſa, intùs & extrà. Poſt menſem febris lenta atque maraſmus. Inibatur conſilium de manu am-*

putandâ. Suspicatus est luem veneream D. Deidier; *Milesque tandem fassus est se quatuor antè annis cancro venereo laborasse, quem probè curatum censuerat. Manus leviter fuit Unguento Mercuriali quotidiè illita. Prima digiti phalanx, erosa carie, cecidit, secunda sensim ad os metacarpi accessit eique coaluit. Fistulæ suppuratæ sunt, ulcera cicatrice obducta, lenta febris evanuit, æger pinguis & sanus factus est, experſque fuit per totam curationem salivatione & alvi fluxu. A Nosocomio post duos menses dimissus est, moxque cum legione suâ Monspelio profectus. Is duobus fermè abhinc mensibus transiens cum suâ legione per eamdem urbem, robustus ac nitidus, salutavit D. Deidier, eique de salutifero beneficio gratias egit.*

Cùm verò soluta non est cutis externa, tunc oportet externas corporis partes unguento illo leniter confricari, nempè ut possit liquidus mercurius cutem, subjectaque vasa penetrare, humoribus permisceri, virusque venereum debellare. Quod quidem succedet feliciter, opus modo dirigat prudens ac peritus Medicus, & in eâ praxi exercitatus.

Consueverant Majores nostri, ut virus venereum ab infecto corpore prorsùs eliminarent, liberales primùm movere sudores per diuturnum sudorificorum usum, unde mitigabantur symptomata, sed non tollebatur malum; dehinc movere copiosam salivationem per affrictum unguenti mercurialis, ut crassiores, quæ transpirationem eluserant, mali reliquiæ per salivationem ejicerentur. Sed ita extabescebant eâ praxi

corpora, & vires ita frangebantur, ut priùs interdum tolleretur homo, quàm malum. Dehinc Medici facti sunt ex ægrotantium periculo cautiores, abrogarunt sudorifica, humectantia substituerunt, & copiosiorem induxerunt salivationem. Ægrotantem igitur humectarunt balneis, jusculis refrigerantibus, aut sero lactis, eoque pacto præparatum inunxere mercurio, sed bifariàm. Alii singulis vicibus à plantâ pedis ad capillorum radices, exceptis duntaxat anterioribus abdominis & pectoris partibus. Alii, (& hi successere prioribus,) administrarunt aliter frictiones, nimirùm primâ vice à plantis ad genua, postridiè à plantis ad coxendicem, & sic deinceps, facto semper recursu à plantis ad partem superiorem, ac superiorem. Sed tandem perspectum est salivationem eâ methodo prolici nimis præcipitem, quæ sæpè curationem impediret.

Primus omnium illustrissimus D. Chirac, Professor Regius Monspeliensis, Serenissimi Principis Gallias Regentis Archiater, qui nomen suum, & saluberrimæ suæ Academiæ famam ita longè protulit, induxit apud Monspelienses multò tutiorem frictionis modùm. Is præscripsit ut singulæ corporis partes Unguento Neapolitano perfricarentur, nimirùm primo die soli pedes; postero solæ tibiæ, sed non amotis linteis quibus pedes fuerant post frictionem involuti; die tertio sola crura, immotis quoque pedum ac tibiarum linteis; & sic deinceps, remanentibus semper linteis, donec morbus fuerit omninò debellatus. Debellatur autem, modò citiùs,

modò tardiùs, pro vario ægrotantis ſtatu, temperamento, ætate, ſexu, veneni indole, partium affectarum diſpoſitione, anni tempeſtate, regione, ac ſimilibus. Sciendum inſuper prudentiſſimum illum Profeſſorem inſtituiſſe ut interdum, pro ægri ſtatu, frictiones intermittantur uno die, pluribuſve; tùm ut eidem parti plures adminiſtrentur frictiones, cùm hæc magis fuerit præ aliis partibus afflicta, v. g. ſi exoſtoſibus tentetur.

Dùm celebrantur frictiones, excitantur plerumque ſenſibiles evacuationes per anum, per urinas, per ſudores, per ſalivationem; interdum nulla in his percipitur inſignis mutatio. Et in hoc poſteriori caſu tutiùs & commodius curatur lues venerea. Satis ad eam curationem eſt, ut mercurius ſanguini & humoribus per frictiones illapſus, diutiùs circulationis beneficio perluſtret vaſa vaſculaque corporis tenuiora, eoque pacto virus omne per corpus diffuſum perimat. Perimit autem, utpote qui globulis ſuis ſummâ tenuitate, liquiditate, ac ſoliditate prædítis vermiculos venereos eorumque ovula intimè penetrat, dilacerat, diſcerpit, diſſipat.

E contra laudant inſolitas hujuſmodi vacuationes qui luem veneream arbitrantur oriri ex acidis ſalibus; eo enim ducit eorum ſententia ut virus venereum foras per evacuationes eliminetur. Id autem tunc potiſſimùm eliminari contendunt, cùm fœtidiores, atque copioſiores ſuccedunt ſalivationes & evacuationes aliæ. Tùm & autumant fieri ut virus infixum mercu-

rio ſublimetur, potentiùſque corroſivum conſtituat, ut ex ſubortis in ore ulceribus percipitur. Sed hæc penitùs adverſantur diſpoſitionibus vaſorum corporis humani, experimentis Chymicis, & iis quæ in ægris obſervantur. 1°. Quia non ſublimatur chymicè unà cum acido Mercurius niſi ſubjecto igne; atqui non ſubjicitur in humano corpore ignis, ſeu calor, ſed is circumfundit acceptum in vaſis Mercurium. Ad hoc, falſum eſt partes corporis ſuperiores eſſe inferioribus frigidiores. 2°. Si prolecta ex frictionibus Mercurialibus ſaliva corroſiva foret, quidquid ei occureret, roderetur, os, lingua, œſophagus, ſtomachus. Roditur enim quidquid ab hauſto ſublimato corroſivo tangitur. 3°. Venerea, quæ jam os infeſtabant, ulcera ex ſubortâ ſalivatione mundantur & curantur; cùm è contrà deberent exaſperari, ſi ſaliva foret corroſiva. 4°. Certum eſt eos qui frictiones ægrotantibus adminiſtrant, quantâvis ſanitate gaudeant, interdum pati ſalivationes æquè fœtidas ac ægrotantes ipſos. Unde verò eorum ſaliva fieret corroſiva? Unde fieret ut ſublimaretur in iis Mercurius? Cùm abſint ab iis ſales venerei. 5°. Cùm diù reſidet in vaſe ægrotorum mercurio inunctorum ſaliva, cùm urina, cæteraque ipſorum excrementa diù reſident, tunc nativus & liquidus ſubſidet mercurius. E contrà, ſi jam ſales acidi globulos ejus in humano corpore tranſfixiſſent, nonniſi chimicâ diſtillatione ab invicem ſeparari poſſent. Hæc autem inutilis eſt diſtillatio, cùm enim egeruntur fœces ex fori-

cis, in quas conjunctæ sunt mercurio inunctorum sordes, reperitur in fundo nativus mercurius & liquidus. 6°. Si per salivationem à mercurio excitatam educeretur è corpore virus venereum, sequeretur fore ut qui copiosiùs salivant, sanarentur tutiùs quàm qui nullo pacto ex moderatis frictionibus salivant. Atqui apud Monspelienses experientiâ pluries compertum est, eos qui ptisanis antivenereis, aut aliò quovis mercuriali præparato, vel etiam cinnabarinis suffumigationibus usi fuerant, ut salivatio proliceretur, non semel fuisse paulò post lue denuò tentatos; cùm è contrà ii, quibus absque salivatione administratæ fuerunt frictiones, prorsùs immunes remanserint.

Nec tamen diffitemur mitigari luem, imminuique, salivationis aut sudorificorum ope, tum & violentis Emeticis mercurialibus ac purgationibus; quippè quòd non possunt vacuari vasa, quin simul vermium venereorum portio educatur. Sed non hinc tutò ac radicitùs morbus evellitur. Evellitur autem, si sic administrentur frictiones, ut, quantum fieri potest, vitetur omnis sensibilis evacuatio. Itaque minùs frequentes sunto frictiones, ut in reconditiores corporis latebras minutissimi mercuriales globuli sensim irrepant, ibique confodiant latentem hostem. Vermes venereos dico, qui, ubicunque delitescant, sunt unà cum cunctis suis ovulis à particulis mercurialibus discerpendi.

Cum procuratur salivatio, unde putas progigni oris inflammationes & ulcera, gingivarum

tumores ac hæmorragias; dentes vacillare, decidere, tumefieri linguam, balbutire? E viru venereo? Neutiquam; sed ex copiosiori salivâ, quæ globulis mercurialibus onusta dilatat, effringit vasculorum salivalium oscula, nimirùm ex hujusmodi globulorum duritie, dum confertim profunduntur. Si effundatur saliva hæc intrà partium textus, tumores pariet, inflammationes, vasculorum disruptiones, excoriationes, carnium ulcera, puris ac tabi fluorem. Item laxabuntur gingivæ ac dentes; inflabitur lingua, ad loquelam & ad deglutitionem inepta fiet; Quid insuper? ex copiosiori salivâ tabescit æger; ex pure ac sanie fœtet os ac spiritus, saliva inficitur, & quod pejus omnium est, nisi putens hæc salivatio intermissis frictionibus sistatur, promptisque remediis ori succurratur, mox succedit gangræna. Omninò fœda mercurialis salivatio ægri tormentum est & interdum pestis.

Qui juxta vulgò receptam salium & spirituum animalium hypothesim voluerint explicare memorata superiùs salivationis incommoda, ii legant diligenter Tractatum *de Vulneribus* Authore D. Chirac, qui, jamdudum consumptâ priori editione, denuò nunc typis mandatur Monspelii. In eo percipient exquisitissimam Theoriam juxta leges analyticas traditam, invenientque jam probata usu plurimo remedia, quibus cujuscunque speciei vulnera sanabilia feliciter curantur. Ex quo autem apud Monspelienses saluciferam suam induxit methodum D. Chirac, insistens D. Deidier Avunculi sui vesti-

giis, frictiones mercuriales præscribit in omni morbo venereo, tum in principio, cùm in augmento, statu, ac declinatione; non torquet ægros copiosis vacuationibus laboriosis, periculosis, certòque sanat quatenus sinit diu mercurium revolvi per sanguinem sine sensibili ejus alteratione. Totùm curationis opus absolvit, ægros in linteis mercurio inunctis retinendo, nempè donec virus fuerit penitùs profligatum. Profligatum verò dignoscitur, cum debellata omninò sunt venerea, cum adsunt, symptomata. Ea plerumque adsunt; verùm, si tunc abfuerint, æger tamen non minus quàm per 25°. aut 30°. dies in linteis inunctis retinendus.

Cùm non urgent symptomata, tunc indiscriminatim totum corpus, salvis tamen capite, alvo & pectore, mercurio perfricandum, imò & caput ipsum, claviculæ, sternum & costæ si exostoses inibi percipiantur, & abdomen si tumoribus afficiatur. Sed ut diu retineantur lintea, sedulò vitandæ sunt sensibiles cunctæ vacuationes, nisi saltem medendum potiùs fit pertinaci ægrotantis opinioni, quàm morbo; quo in casu frequentiores administrari poterunt frictiones, quæ tamen sistendæ paulò pòst quàm vacuationes subortæ fuerint. Tum & renovandæ dehinc frictiones, cùm debellata prorsùs non sunt symptomata.

Quamquàm tribus ante relatis Observationibus. (Hiberni pag. 21. Aigomortensis, pag. 29. & Militis, pag. 33.) satis confirmata esse videatur ea methodus, quæ nunc in usu est apud

Monſpelienſes curandi Luem veneream; non pigebit lectorem tres alias nuper mihi communicatas legere, quibus huic meæ diſſertationi finem inponam. Hæ ſaltem non minùs curioſæ quàm priores, & caſus exponent varios. Primæ me fecit participem D. Deidier, ſecundæ D. Barancy; tertiæ D. Gondange. In primâ curatione, medium abdomen fuerat enſe trajectum, & colon transfixum; laborabat vulneratus gonorrhæâ recenti, eique teſtes intumuerant. In ſecundâ exoſtoſes erant in capite, in vertebris, in claviculis, etiàm diſruptis. In tertiâ ulcus erat in collo veſicæ, cum febri lentâ, & maraſmo. Priores duo infirmi ſolâ frictione Mercuriali abſque ſalivatione curati; curatus & tertius, ſed quia ipſi mens fuerat præjudicio ſalivationis vitiata, procurata illi ſalivatio; hoc in caſu medela fuit adhibita & corpori; & menti. Prout nobis communicatæ ſcripto ſunt hujuſmodi Obſervationes, eas referemus.

Obſervatio D. DEIDIER.

DUctus fuerat in officinam D. Peyrat, Chirurgi peritiſſimi, horâ fermè undecimâ poſt meridiem, diei 3. Auguſti, anno 1713. Adoleſcens Argentoratenſis, annum agens circiter 22. qui proximo urbis vico fuerat gravi vulnere proſtratus. Advocatus, illùc feſtinatò me contuli. Adoleſcentem inveni jacentem ſupra latus dextrum. Vidi vulnus ſatis exiguum inter coſtarum ſpuriarum penultimam & antepenultimam, à vertebris

diſtans digitis quatuor, per quod exibat particula Epiploi. Ut is ingentî conatû vomebat, ſuſpicatus ſum per trajectum enſe diaphragma partem Epiploi adactam fuiſſe in thoracem ac per vulnus externum exire. Nihil non moverant tirones, abſente Magiſtro, ut Epiploon intra coſtas compreſſum intromitterent, ſed fruſtrà & inſciè. Ego partem ejus exeuntem magis etiam extraxi, filo religavi, & forfice abſcidi; emplaſtrum Diapalmatis, quod primum ſeſe obtulit, vulneri appoſitum. Interrogavi vulneratum an ſcæva eſſet, is negavit, dixitque ſe cum viro ſtrenuo ſtrenuè depugnaſſe, ac fuiſſe uno ictu proſtratum. Præcepi tironibus, ut eum revolverent, vidique vulnus ingens in Hypochondrio dextro, duobus tranverſis digitis diſtans à coſtis ſpuriis, & ab umbilico digitis ſex. Hinc certior factus ſum hàc vulnus inflictum eſſe, gladiumque trajecto corpore per ſiniſtrum latus erupiſſe. Vulnus hoc peniculo obturavi ſicco, impoſui linamentum, & utrumque vulnus communi faſciâ cinxi. Secta vulnerato vena, quamquàm is jam multum ſanguinis emiſiſſet. Dehinc vectus eſt in hoſpitium ſuum, ubi vix lecto compoſitus, ſomno quaſi lethargico ſopitus eſt; nec mirùm, is enim (ut mox accepi) vinum copiosè ante certamen hauſerat. Aberat ab urbe D. Peyrat. Æquum non videbatur tanto cum periculo vulneratum tironibus ejus committere. Advocatur D. Barancy. Ex communi decreto, vena iterùm ſecta, & viſum utrique ut æger per totam noctem ac deinceps quieſ-

ceret immotus ſupra latus dextrum, niſi quidquam infauſti superveniret. Exigua nobis fuit illius ſalutis ſpes. Jam ſe receperat D. Barancy, cùm advenit vir nobilis Monſpelienſis ſanguine propinquus vulnerato, cujus precibus adductus ſum ut ibi pernoctarem. Horâ matutinâ tertiâ excitavi hominem. Caput ei liberius, pulſuſque vegetior fuit. Tertiam imperavi venæ ſectionem, vetui ne quidquam cibi caperet, permiſi ſolùm aquam ad compeſcendam ſitim. Horâ matutinâ fermè decimâ, ægrum unâ cum D. Barancy adiimus, quarta venæ ſectio decreta eſt, arctiſſimaque diæta.

Veſpere facto, vulnera ſublato apparatu obſervavimus, occluſum reperimus ſiniſtrum, & filum quo religatum fuerat exiens Epiploon deciderat. Dextro vulneri, ſeu anteriori, inditus eſt parvus peniculus conſueto digeſtivo illitus, illitum quoque ſuperpoſitum linamentum. Aliquot abhinc diebus regreſſus in urbem D. Peyrat fuit ad noſtram curam advocatus. Vulnera eodem pacto curata.

Octavo curationis die, ſe prodidit ex vulnere anteriori Epiploi pars, livida, nigreſcens. Ampliatum vulnus eſt per lapidem cauſticum. Ex conſilio, ſpecillum nullatenùs admiſſum. Vitiata pars Epiploi, mox per oſtium patentius exiit, paucis poſt diebus & alia pars Epiploi vitiata quoque egreſſa eſt, & parvus abſceſſus infra vulnus apparuit. Applicatur huic lapis Cauſticus. Statim verò ac ea pars Epiploi decidit, ſtercus in extremo peniculo fuit obſervatum, ſicut &

deinceps, & hinc cognitum vulnus inteſtini Coli.

Æger cœpit queri de gravi dolore in regione Hypogaſtricâ veſicam versùs. Lotium erat cruentum, tuncque confeſſus eſt ſe à paucis ante vulnus acceptum diebus gonorrhæâ & fluxione in teſtes laborare. Quod nobis herniæ obtentu occuluerat. Decretæ ſunt unanimi conſenſu inunctiones Mercuriales, in pene, ſcroto, perinæo, ac in regione veſicæ, cum eâ cautione ut ſalivatio vitaretur; etenim parcendum erat viribus ægri, qui non-niſi juſculis tenuibus reficiebatur, & vitanda ventris tormina ne vulnerato officeretur Colo. Inunctionibus ergo mercurialibus ſummâ cum cautelâ adhibitis, mox ſanguinis fluxus & ardor urinæ cohibiti, evanuitque gonorrhea ac teſtium tumor. Interea, tertia ſe prodidit per vulnus corrupta Epiploï pars, quæ & paulopòſt decidit, & ut priùs ſtercus ſecutum. Dehinc, vulnus cicatrice feliciter obducebatur, cùm æger jam pertæſus juſculorum ac offulæ à biduo permiſſæ, ſe cibo ſolidiore ingurgitavit. Exſudatio ſtercorina per vulnus externum emanavit, & hinc cognitum vim ex ſolidiori cibo allatam vulneri Coli fuiſſe. Monitus æger de periculo, ſibi temperaturum dixit; ſed & bis iterùm peccavit. Nos de ipſius ſalute ſolliciti, minas intentavimus de illo ſuæ ſorti penitùs relinquendo. Is perterrefactus. Noſtris dictis audiens factus eſt. Et 15. pòſt diebus, cicatrice vulneris per laminam plumbeam ſolidatâ, penitùs ex vulnere ac viru venereo convaluit. Faſciæ rejectæ, ac conſuetus vivendi

modus receptus. Mòx Argentoratum ſe contulit, ubi perfectè ſanus eſt & incolumis. Curatio fuit menſium duorum ac ſemimenſis.

Obſervatio D. BARANCY.

PRincipio menſis Maii an. 1716. ad me directus eſt nobilis Italus, Bononienſis, circiter annos 30. natus, lue venereâ laborans. Præcipua, quibus infeſtabatur, ſymptomata hæc erant. Plures exoſtoſes in capite, in claviculis, in vertebrarum apophyſibus. Exoſtoſes capitis eminebant in oſſe coronali ac parietalibus. Capitis dolor erat continuus, ſed adveſperaſcente die adeò exacerbabatur, ut per totam fermè noctem evigilaret ac rabidus videretur. Diluculo, remittebatur dolor ac febricula ſequebatur. Hinc totius corporis languor & marcor.

Exoſtoſes adeò claviculas corruperant, ut ex conatu, quo pallium voluit in humerum rejicere, altera clavicula fuerit per mediam diſrupta. Inæquales vidiſſes claviculas, aſperas, tumentes. Idem dixeris de apophyſibus vertebrarum.

Ægro multùm profecerat, dum ageret in Italiâ, Ptiſana ex Sarſaparillâ. Hac per dies 15. epotâ, menſes ſine moleſtiâ tranſigebat. Sed nihilominùs excreſcebant exoſtoſes, ac dolor recrudeſcebat. Quo factum eſt, ut ad nos confugerit.

Conſultus D. Deidier. Unanimiter definivi-

mus, malum ita radicatum eradicari non posse, nisi diutissimè, frictionibus adhibitis, contineretur æger in linteis mercurio inuunctis. Ante omnia, visum est ut balneis aliquot domesticis, ob insignem maciem, humectaretur. Hoc factum. Dein totum caput unguento mercuriali affrictum est, & identidem claviculæ ac vertebrarum apophyses. Per frictiones, lacte pascebatur æger. Statim ac sputa oriebantur, aut ventris tormina, intermittebantur frictiones. Evanuerant post sesquimensem vertebrarum exostoses, nec nisi capitis & clavicularum exostoses imminutæ, tùm & dolor capitis modicè sedatus. Adhibui Ptisanam Sarsæparillæ; sed non hinc minuebantur exostoses. Tunc advocatus ab ægro D. Deidier, ejusque consilio subventum est & dolori capitis & exostosibus. Nempe fuerunt alternatim, interjectis diebus aliquot, administratæ, Ptisana sarsæparillæ ut auferretur capitis dolor, & exostosium superstitum inunctiones ut penitùs exostoses evanescerent. Sic alternatim processit curatio per mensem unum. Et Italus perfectè curatus.

Observatio D. GONDANGE.

Die 2. mensis Septembris an. 1713. advocati sumus ego ac D. Deidier, ut à lue venereâ curaremus nobilem Anglum, Præsidiarium Portu-Mahonis centurionem, qui ab eo Portu Monspelium fuerat advectus. Homo fermè sqeleton apparuit. Is gravi stranguriâ, doloribus per

totum corpus atrocissimis, febri lentâ & marasmo vexabatur. Carebant sensu clunis & crus dextrum, etiam dum compressis digitis vellicarentur. Utraque tibia tumebat exostosi. Nares internas & posticas aures fœdæ obsidebant crustæ. Prorsùs miserabilis ægri status.

Stranguria premebat; lotium eduxi per specillum cavum. Venam bis secui, properatò. Post aliquot dierum specilli cavi ministerium urina per se fluxit, nimirùm disrupto abscessu qui collum vesicæ compresserat, è quo per dies aliquot pus copiosum emanavit. Dehinc æger purgatus, & ad usum lactis redactus. Interim testis intumuerat, vel ex meiendi conatibus, vel ex abscessu memorato. Inflammatio testis cataplasmate lacteo discussa est.

Testem voluimus pauco unguento Mercuriali illinere; statim subortum est erysipelas, quod mox per imum ventrem, pudenda, podicem, utriusque cruris partes internas, extensum est, & gravissimus ardor urinæ. Tunc à successu ferè desperatum, quòd tantas Mercurius excitaret turbas.

Ad usum lactis recurrimus; erysipelas evanuit. Dehinc, ad curationem luis venereæ ventum est. Aliquot balnea domestica, bina per diem, administrata sunt, & per ea singula lac exhibitum. Post balnea, successerunt frictiones mercuriales. Hæ à pedibus incœptæ juxta consuetum morem, ac sursùm procedentes, sed absque recursu. Frictionum tempore, æger bis quaque die lac hauriebat. Leves fuerunt frictio-

nes, ac identidem intermiſſæ, ut quæ ſuboriebantur ſalivatio & ventris fluxus ſupprimerentur. Sic tandem ſanatus homo, pinguefactus, ambulavit, ſaltavit ut antè.

Priuſquàm verò ſe ad Portum Mahonem reciperet, voluit, aut alieno conſilio deluſus aut præjudicio ſuo, ſalivationem ſubire, ad educendas penitùs, aiebat ille, morbi reliquias. Pro virili reſtitimus, ſed ejus nos vicit pertinacia. Copioſa illi ſalivatio Mercurialibus frictionibus procurata eſt. Convaluit, & nitidus abſceſſit.

FINIS.